

matri sue et sorori porreximus ea bona, que pater suus et patruus et avus suus a patre nostro et ab avo de jure tenuerunt, curiam eciam castrensem Luneborgensem cum centum marcarum redditibus annuatim, de qua si dissensio aliqua oriatur, istorum quatuor arbitrio est committendum: T. de Monte, Segebandi, Gevehardi, Ottonis, ut quicquid ipsi de hoc adhibito sacramento protestati fuerint, ratum habeatur. Juravimus eciam et fide data promisimus, quod auxilium nullum prestabimus regi Danorum contra Gunzelinum aut suos heredes. Mercatores et homines Gunzelini in eundo ea libertate fruantur, qua de jure uti debent. Ut hanc compositionem inconcussam teneamus, quinque nostri nobiles juraverunt et fide data promiserunt cum XXX ministerialibus nostris, quod si nos contra juramentum et fidem datam venerimus, dicti homines Zwerin intrabunt, inde non exituri, nisi de Gunzelini comitis jussione, quod et XXX burgenses de Brunneswic promittent et jurabunt, quod et XXX civitatenses de Luneborg facient. Similiter et hoc juraverunt castrenses de Luneborg, quod si nos compositionem talem infregerimus, castrum Luneborg in potestatem ducis Saxonie et Gunzelini present(abimus). Promissores, qui nunc promiserunt et adhuc promittent, in consummatione istorum denominabimus. Quos, si facere (noluerint,) eiceremus et eos a presentatione castri prohiberemus. Idem castrenses Zwerin intrare tenebuntur, inde non exituri, donec emendatio digna fiat. Quam securitatem si usque ad epyphaniam Domini non fecerimus, nos et nostri compromissores Dannenberch intrare tenebimur, inde non exituri, sicut dictum est."

(Mitgetheilt vom Archivrath Dr. Fisch nach dem Originale im Großherzogl. Mecklenb. Geh. und Haus-Archiv zu Schwerin. Das Original befindet sich auf einem kleinen Pergament, in einer kleinen flüchtigen undeutlichen cursivischen Minuskel. Das Pergament ist unregelmäßig beschnitten und bis an die Ränder voll geschrieben. Die Schrift ist sehr eilfertig, an einigen Stellen corrigirt und offenbar verschrieben. Das Ganze hat augenscheinlich den Charakter, als wenn die Urkunde sehr eilig oder an einem Orte geschrieben sei, wo man auf Urkundenschreiben nicht